

1478 & Laurentius frater cum eo sit cæsus : sed ille sua virtute ac suorum accursu nefarias conjuratorum manus evaserat . Florentini tanti viri casu consternati , sumptis armis , multos ejus sceleris participes trucidant : Syxti Pontificis nepote , qui tum Florentiæ erat , in custodiam adducto , Salviatum , Pisanum Antistitem , cædis auctorem , cum plerisque aliis , qui officii causa utrunque Florentiam secuti fuerant , laqueo publice suspendunt . Atrocitate rei Pontifex commotus , duplici spiculo , anathematis & interdicti , in Florentinos misso , arma adversus eos comparat , Ferdinando Rege & Senensibus in belli socios assumptis . Validus in Hetruriam exercitus , antequam ætas illa , qua hæc Florentiæ acciderant , abiret , missus est : Fæderico Urbinati summa rei cum imperio copiarum demandata , gestarum autem rerum gloria penes Alphonsum erat , Ferdinandi Regis filium , Calabria Ducem , hostem acerrimum , & qui avito paternoque odio Florentinum nomen oderat . Erat cum eo Ursus Comes , Rubertus Ursinus , & Virginius ex Neapolione fratre nepos , Matthæus Campanus , & Rubertus Ariminensis . Sed is , quem novissime nominavi , non multo post Florentinorum stipendia secutus , copiarum omnium imperator a Thuïco declaratus est . Florentini suis sociorumque viribus freti (nam præter Venetos , Mediolanenses quoque , Hercules Æstensis , & Fædericus Gonzaga cum illis socia arma junxerant) ferociter tantam belli molem exceperunt . At Venetis adhuc Othomanico bello occupatis , qui terra , mari , & (quod omnium gravissimum erat) intra Italiæ fines terribiles barbarorum impetus alium super alium sustinebant ; nec non Mediolanensium rebus adhuc Galeacii Ducis morte consternatis (qui ad Protomartyris sacrorum hora a Joanne Lamponiano & paucis conjuratis superiore anno cæsus erat) ita sane accidit , ut non tam cito auxiliares copiæ Florentinis affuerint . Sed tam hi , quam illi ultra vires nixi , arma si non pro amplitudine utrorumque , saltem pro temporum conditione satis valida compararunt . Missus est præterea
a Ve-